



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Sacrosancti Et Oecvmenici Concilii Tridentini, Pavlo III.
Ivlio III. Et Pio IV. Pont. Max. celebrati, Canones Et
Decreta**

Tridentinum <1545-1563, Trient>

Coloniae, 1615

Sessio XXIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42415

novus diem futura Sessionis ad feriam quinta, post octavam festivitatis omnium Sanctorum que erit dies 12. mensis Novem. indicit; & in ea decernitur de Sacramento Ordinis, & de Sacramento Matrimonij, &c.

Prorogata fuit Sessio usque ad diem
15. Julij. M. D. LXIII.

SESSIO XXIII.

QUAE EST SEPTIMA,
SVB PIO IV. PONT. MAX.
CELEBRATA DIE XV.
IUL. M. D. LXIII.

Vera, & Catholica doctrina de Sacramento Ordinis, ad condemnandos errores nostri temporis, à sancta Synodo Tridentina decreta, & publicata Sessione septima.

CAPVT I.

Sacrificium, & sacerdotium ita Dei ordinatione coniuncta sunt, ut utrumque in omni lege extiterit. Cum igitur in nouo Testamento sanctum Eucharistiae sacrificium visibile ex Domini institutione Catholica Ecclesia acceperit; fateri etiã oportet, in ea nouum esse visibile, & externum sacerdotiũ, in quod vetus translatus est. hoc autem ab eodẽ Domino

no Sal-

no Salvatore nostro institutum esse, atq; Apo-
stolis, eorumque successoribus in sacerdotio, po-
testate traditam consecrandi, offerendi a
ministrandi corpus, & sanguinem eius, nec non
& peccata dimittendi, & retinendi sacrae lit-
terae ostendunt, & Catholicae Ecclesiae tradi-
tio semper docuit.

CAPVT II.

Cum autem diuina res sit tam sancti Sacer-
dotij ministerium cōsentaneum fuit, quo
dignius, & maiori cum veneratione exerceri
posset, vt in Ecclesiae ordinatissima dispositio-
ne plures & diuersi essent ministrorum Ordi-
nes, qui sacerdotio ex officio deseruirent; ita
distributi, vt, qui iam clericali Tōjura insigni-
ti essent, per minores ad maiores ascenderent.
nam non solum de Sacerdotibus, b sed & de
Diaconis sacrae litterae apertam mētionem fa-
ciunt; & quae maxime in illorum ordinatione
attendenda sunt, grauissimis verbis docent, &
ab ipso Ecclesiae initio sequentium Ordinum
nomina, atque vniuscuiusque eorum propria
ministeria, Subdiaconi scilicet, Acolythi, Ex-
orcistae, Lectoris, & Ostiarij in vsu fuisse cogno-
scuntur, quamuis non pari gradu. nam Subdia-
conatus ad maiores ordines, c à Patribus, &
sacris Concilijs refertur, in quibus & de a-
lijs inferioribus frequentissi-
mè legimus.

a Mat. 26.
Matt. 18.
Ioan. 20.

b 1. Tim. 3
& Act. 22.

c c. Nullus,
lib. 2. 60.
diff.

CAPVT III.

b 1. Tim.
4.

Cum scripturae testimonio & Apostolica traditione, & Patrum unanimi consensu perspicuum sit, per sacram ordinationem, quae verbis & signis exterioribus perficitur, gratiam conferri; dubitare nemo debet, Ordinem esse verè & propriè vnum ex septem sanctae Ecclesiae Sacramentis: inquit enim Apostolus: c Admoneo te, vt resuscites gratiam Dei, quae est in te, per impositionem manuum mearum, nõ enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis, & dilectionis, & sobrietatis.

c 2. Tim.
1. b.
1. Tim. 4.
d 2. Tim.
1. b.

CAPVT IV.

c Sess. 7,
de Sacra.
in genere
can. 9.

Quoniam verò in Sacramento e Ordinis, sicut & in Baptismo, & Confirmatione, character imprimitur, qui nec deleri, nec auferri potest; meritò sancta Synodus damnat eorum sententiam, qui asserunt noui Testamenti Sacerdotes temporariã tantummodo potestatem habere, & semel ritè ordinos, iterum laicos effici posse, si verbi Dei ministerium nõ exerceãt. Quod si quis omnes Christianos promiscuè noui Testamenti sacerdotes esse, aut omnes pari inter se potestate spiritali praeditos affirmet, nihil aliud facere videtur, quã ecclesiasticam hierarchiam, quae gest vt castroru acies ordinata, confundere: perinde ac si contra beati Pauli h doctrinam omnes Apostoli, omnes Prophetae, omnes Euangelistae, omnes Pastores, omnes sint Doctores. Proinde sacrosan-

f Cant. 6.
g 1. Co. 11.
h Eph. 4.

Et a Synodus declarat, præter cæteros ecclesiasticos gradus, Episcopos, qui in Apostolorum locum successerunt, ad hunc Hierarchicum Ordinem præcipuè pertinere & positos, sicut idem Apostolus ait, à Spiritu sancto, regere Ecclesiam Dei: b eosque Presbyteris superiores esse: c ac Sacramentum Confirmationis conferre: ministros Ecclesie ordinare: atque alia pleraque peragere ipsos posse quarum functionum potestatem reliqui inferioris Ordinis nullam habent. Docet insuper Sacrosancta Synodus, in Ordinatione Episcoporum, Sacerdotum, & cæterorum Ordinum, nec populi, nec cuiusvis secularis potestatis, & magistratus consensum, siue vocationem, siue auctoritatem ita requiri, ut sine ea irrita sit ordinatio: quin potius decernit, eos, tantummodo à populo, aut seculari potestate, ac magistratu vocati, & instituti, ad hæc ministeria exercenda ascendunt, & quæ ea propria temeritate sibi sumunt, omnes non Ecclesie ministros, sed fures, & latrones, per ostium non ingressos, habendos esse. Hæc sunt, quæ generatim sacra Synodo visum est Christi fideles de Sacramento ordinis docere. His autem contraria, certis & proprijs canonibus in hunc, qui sequitur, modum damnare constituuit: ut omnes adiuvante Christo, fidei regula utentes, in tot errorum tenebris Catholicam veritatem facilius agnoscere, & tenere possint.

a Act. 20.
b Cælest.
c epist. ad
epif. Gal-
liæ c. 1.
c Sef. 7 de
conf. c. 3
Hispal. 2.
c. 5. 2. & a-
libi.
d Laodic.
Conc. c. 13

e Ioan. 10

De Sacramento Ordinis.

CANON I.

Si quis dixerit, non esse in nouo Testamento sacerdotium visibile & externum, vel non esse potestatem aliquam consecrandi, & offerendi verum corpus, & sanguinem Domini, & peccata remittendi, & retinendi, sed officium tantum, & nudum ministerium predicandi Euangelium, vel eos, qui non predicant, prorsus non esse sacerdotes: anathema sit.

CANON II.

Si quis dixerit, præter sacerdotium non esse in Ecclesia Catholica alios Ordines, & maiores, & minores, per quos, velut per gradus quoslibet, in sacerdotium tēdatur: anathema sit.

CANON III.

Si quis dixerit, ordinem, siue sacram Ordinationē non esse verè & propriè Sacramentū, à Christo Domino institutū, vel esse siquēdam quoddam humanum, excogitatum à viris reu ecclesiasticarum imperitis, aut esse tantum ritū quendum eligendi ministros verbi Dei, & Sacramentorum: anathema sit.

CANON IV.

Si quis dixerit, per sacram Ordinationem non dari Spiritum sanctum; ac proinde frustra Episcopos dicere: Accipe Spiritum sanctum; aut per eam non imprimi characterem, vel eū, qui Sacerdos semel fuit, a laicum rursus fieri posse: anathema sit.

a 8. To-
let. cap. 7.

CA-

CANON V.

Si quis dixerit sacramentum unctionem, qua Ecclesia in sancta ordinatione utitur, non tantum non requiri, sed condemnandam, & pernitiosam similiter & alias Ordinis ceremonias: anathema sit.

CANON VI.

Si quis dixerit, in Ecclesia Catholica non esse hierarchiam diuina Ordinatione institutam, que constat ex Episcopis, Presbyteris, & ministris: anathema sit.

CANON VII.

Si quis dixerit, Episcopos non esse Presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi, & ordinandi; vel eam quam habent, illis esse cum Presbyteris communem; vel Ordines ab ipsis collatos sine populi, vel potestatis secularis consensu, aut vocatione, irritos esse; aut eos, qui nec ab ecclesiastica & canonica potestate rite ordinati, nec missi sunt, sed aliunde veniunt, legitimos esse verbi & Sacramentorum ministros: anathema sit.

CANON VIII.

Si quis dixerit, Episcopos, qui auctoritate Rom. Pontificis assumuntur, non esse legitimos, & veros Episcopos, sed figmentum humanum: anathema sit.

Decretum de Reformatione.

EAdem sacrosancta Tridentina Synodus, reformationis materiam prosequens, hæc

que sequuntur in presenti decernenda esse statuit & decernit.

CAPVT I.

a Ioa. 21.

Act. 20. c.

Eph. 43.

dist. c. sic-

ut 7. q. 1.

c qui Epi-

scopatū.

8. q. 1. c.

præcipue.

ij. q. 3. c.

gloria. E-

pisco. 12.

q. 2.

b Ioa. 16.

c 1. Pet. 5. a

d sup. Sel.

6. de ref.

3. c. 1.

e infr. in

Bulla Sā-

ctissimi

D. N. Pij

4. super

residen-

tia.

Cum a præcepto diuino mandatū sit omni-
bus, quibus animarum cura cōmissa est,
oues suas agnoscere, pro his sacrificium offer-
re: verbiq. diuini predicatione, Sacramento-
rum administratione, ac honorum omnium o-
perum exemplo pascere, pauperum, aliarumque
miserabilium personarum curam paternā ge-
rere: & in cetera munia pastoralia incubere;
que omnia nequaquam ab ijs præstari, & im-
pleri possunt, qui gregi suo non inuigilat, neque
assistunt, sed b mercenariorum more deserunt:
Sacrosancta Synodus eos admonet, et hortatur,
vt diuinorum præceptorum memores, factique
forma gregis, in iudicio, & veritate pascant,
& regāt. Ne verò ea, q. de residentia sancte &
vtiliter iam d antea sub fel. rec. Paulo III.
sacita fuerunt in sensus à Sacrosanctæ Synodi
mente alienos trabātur, ac si vigore illius de-
creti quinque mensibus continuus abesse liceat;
illis inherendo, declarat Sacrosancta Synodus,
e omnes Patriarchalibus, Primatialibus, Me-
tropolitanis, ac cathedralibus ecclesijs, quibus-
cumque, quocumque nomine, & titulo præfe-
ctos, etiam si sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardina-
les sint, obligari ad personalem in sua ecclesia
vel diœcesi residentiā, vbi iniuncto sibi officio
desun-

defungi teneantur; neque abesse posse, nisi ex
 causis & modis infra scriptis. f. Nā cum Chri-
 stiana caritas, vrgēs necessitas, debita obediē-
 tia, ac euidens Ecclesie, vel Reip. vilitas ali-
 quos nonnunquam abesse postulet, & exigant,
 decernit eadē Sacrosancta Synodus, has legiti-
 me absentie causas à Beatiss. Ro. Pont. aut à
 Metropolitano, vel, eo absente, Suffraganeo E-
 piscopo antiquiori residēte, qui idē Metropoli-
 tani absentiam probare debebit, in scriptis esse
 approbādas; nisi cū absentia inciderit propter
 aliquot munus, & Reip. officium, episcopatib⁹
 adiunctum: cuius quoniam cause sunt notorie
 & interdum repentine, nec eas quidem signifi-
 cari Metropolitano necesse erit: ad eundem ta-
 men cū Concilio provinciali spectabit iudicare
 de licētis à se, vel à Suffraganeo datis; & vi-
 dere, ne quis eo iure abutatur: & vt pœnis ca-
 nonicis errātes puniātur. g. Interea memine-
 rint discessuri, ita onibus suis providēdum, vt,
 quantū fieri poterit, ex ipsorū absentia nullum
 damnum accipiant. Quoniā autē, qui aliquā-
 tisper tantum absunt, ex veteri canonum sen-
 tētia nō videntur abesse, quia statim reuersuri
 sunt: Sacrosancta Synodus vult, illud absentie
 spatium singulis annis, siue continuū, siue interru-
 ptū, h extra prædictas causas, nullo pacto de-
 bere duos, aut ad summū tres mēses excedere:
 & haberi rationē, vt id æqua ex causa fiat, &
 absq; vllō gregis detrimēto, quod an ita sit, ab-

f de cete.
 c. inter
 quatuor.
 c. tuaz. &
 c. relatū.
 de cler.
 nō resid.
 c. ad sup-
 plicatio-
 nem de
 renua. c.
 quorun-
 dam 74.
 dist.

g c. cū ex
 eo de ele.
 in 6. c. be-
 neficium
 de regul.
 eo. lib. &
 c. 2. in fi.
 sup. ses. 6.
 sarlicen.
 Cōc. c. 14.
 Elib. c. 21.
 h c præ-
 sentium.
 7 q. 1. &
 infr. sess.
 24. de re-
 for. c. 11.

cynde A-
gath. Cō.
cā. 64. c. fi
quis in
Clero. 7.
q. 1.

scendentium conscientie relinquit, quam sperat
religiosam & timoratum fore, cum Deo corda
pateant cuius opus non fraudulenter agere, suo
periculo tenetur. Eosdem interim admonet, &
in Domino hortatur, ne per illius temporis spa-
tium, Dominici Adventus, Quadragesime, Na-
tivitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes
item & corporis Christi diebus, quibus restor-
maximè, & in Domino gaudere Pastoris præ-
sentia oves debeant, ipsi ab ecclesia sua cathe-
drali ullo pacto absint, nisi Episcopalia munia
sue diocesis eos alio vocent.

d sup. Ses.
6. de ref.
c. 1. & inf.
in Bulla
S. D. N. Pij
4. super
refidētia
c. 2. c. con-
querēte,
& ferè p
totum de
cler. non
refid.

Si quis aut, quod utinam nunquam eneniat,
contra huius decreti dispositionem abfuerit, sta-
tuit Sacrosancta Synodus, præter alias penas
aduersus non residētes, sub & Paulo 3. impostas,
& innovatas, ac mortalis peccati reatum, quæ
incurrit, eum pro rata temporis absentia fructus
suos non facere, nec tuta conscientia, alia etiã de-
claratione non secuta, illos sibi detinere posse: sed
teneri, aut ipso cessante, per Superiorem Eccle-
siasticum, illos fabricæ ecclesiarum, aut paupe-
ribus loci erogare prohibita quacunque conue-
ntione, vel compositione, quæ pro fructibus male
perceptis appellatur, ex qua etiam prædicti fru-
ctus in totum, aut pro parte ei remitterentur:
non obstantibus quibuscumque privilegijs, cui-
cumque collegio, aut fabricæ concessis.

Eadem omnino, etiam quoad culpam, amif-
sionem fructuum, & penas de curatis inferiori-
bus

bus, & alijs quibuscūq; qui beneficiū aliquo ecclesiasticū, curā animarum habēs, obtinent. Sacrosancta Synodus declarat, & decernit; ita tamen, ut, quādo cunq; eos, causa prius per Episcopū cognita, & p̄bata, abesse cōtigerit, Vicariū idoneū, ab ipso Ordinario approbādū, cū debita mercedis assignatione relinquāt. Discedendi autē licentiā in scriptis, gratisq; cōcedendam ultra bimestre tēpus, nisi ex graui causa, non obtineant. Quod si, per edictū citati etiam non personaliter, cōtumaces fuerint: liberū esse vult Ordinarijs, per censuras ecclesiasticas, & sequestrationē et subtractionē fructuū, aliāq; iuris remedia, etiam vsque ad priuationem, cōpelttere. nec executionem hanc, quolibet priuilegio, licentiā, familiaritate, exemptione, etiā ratione cuiuscumq; beneficij, pactione, statuto, et iuramento, vel quacunque auctoritate confirmato, consuetudine et immemorabili, que potius corruptela censenda est, siue appellatio- ne, aut inhibitione, etiam in Rom. Curia, vel vigore a Eugenianae cōstitutionis suspēdi posse. Postremò, tam decretū illud sub b̄ Paul. 3. quā hoc ipsum in Concilijs Provincialibus, et Episcopalis publicari, Synodus precipit: cupit enim, que adeò ex Pastorum munere, animarūque salute sunt, frequenter omnium auribus, mentibusq; insigis, ut in posterum, Deo iuuante, nulla temporum iniuria, aut hominum obliuione, aut desuetudine aboleantur.

a Extrau.
commu-
niū lib. 5.
c. 3. Diui-
na. de pri-
uilegijs.
b sup. 3. es.
6. de ref.
cap. 1.

CAPVT II.

Ecclēsijs & cathedralibus, sexu superioribus, quocumq; nomine ac titulo præfetti, etiã sancte Romane Ecclesie Cardinales sint, si munus consecrationis intra tres menses non susceperint, ad fructuum perceptorum restitutionem teneantur. si intra totidem menses postea id facere neglexerint; ecclesijs ipso iure sint priuati. Consecratio verò, si extra Curiam Romanam fiat, in Ecclesia, ad quam promoti fuerint, aut in prouincia, si commodè fieri poterit, celebretur.

CAPVT III.

Episcopi per semetipsos Ordines conferant, quod si ægritudine fuerint impediti; & subditos suos non aliter, quam iam probatos, & examinatos, ad alium Episcopum ordinandos dimittant.

CAPVT IV.

Prima tonsura non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non susceperint, & fidei rudimenta edocti non fuerint; qui que legere, & scribere nesciant; & de quibus probabilis coniectura sit, eos non sæcularis iudicii fugiendi fraude, sed vt Deo fidelem cultum præstent, hoc vitæ genus elegerint.

CAPVT V.

Ad minores Ordines promouendi bonum a Parocho, & à magistro scholæ, in qua educantur, testimonium habeant. Hi verò, qui

ad

ad singulos maiores erunt assumendi, per mens-
sem antè ordinationem Episcopum adeāt, qui
Parocho, aut alteri, cui magis expedire vide-
bitur, cōmittat, vt nominibus, ac desiderio eo-
rum, qui volent promoueri publicè in Ecclesia
propositis, de ipsorum ordinandorum a natali-
bus, et etate, moribus, et vita à fide dignis di-
ligenter inquirat; b & litteras testimoniales,
ipsam inquisitionem factam cōtinentes, ad i-
psam Episcopum quamprimum transmittat.

CAPVT VI.

Nullus prima Tonsura initiatus, aut etiam
in minorib. Ordinibus constitutus, ante
decimum quartum annum beneficium possit
obtinere. Is etiam fori priuilegio nō gaudeat,
nisi beneficium ecclesiasticum habeat: aut Cle-
ricalem habitum, & Tonsuram deferēs, alicui
ecclesie ex mandato Episcopi inseruiat; vel in
seminario Clericorū, aut in aliqua schola, vel
vniuersitate, de licentia Episcopi, quasi in via
ad maiores Ordines suscipiendos versetur. In
Clericis vero cōiugatis seruetur cōstitutio Bo-
nifacij 9. quæ incipit, c Clerici, qui cum vnici-
modò hi Clerici, alicuius ecclesie seruitio, vel
ministerio ab Episcopo deputati, eidē Ecclesie
seruiant, vel ministrēt, & clericali habitu, &
Tonsura vtantur, nemini, quo ad hoc, priui-
legio, vel consuetudine, etiam im-
memorabili, suffra-
gante.

a c. quan-
do. 24.
dist.
b Vide 3.
Carth. c.
22. & 4.
Carth. 22.

c c. 1. de
cler. con-
iug. in 6.
lib. 3.
Vide post
finem hu-
ius libri.

CAPVT VII.

a c. quan-
do 42.
dist.

b Gelasi^o
1. in epi.
1. ca. 3. c.
vltim. 75.
dist. c. 1.
cū seq. de
temp. or-
din.
c. Conc.
Carth. 4.
c. 22.

d supra
Ses. 14. de
refo. cap.
2. & 3.
e Hic sup.
c. 3. Conc.
Carth. 3.
cap. 21.
Concil.
Aurel. 3.
cap. 15. c. 1.
21. q. 2. 9.
q. 2. per
totam. c.
1. cū seq.
de temp.
ord. in 6.

Sancta Synodus, a antiquorum canonum ve-
stigijs inherendo decernit, vt quādo Episco-
pus Ordinationem facere disposuerit, omnes,
qui ad sacrum ministeriū accedere voluerint,
feria quarta ante ipsam ordinationē, vel quā-
do Episcopo videbitur, ad ciuitatem euocētur.
Episcopus autem sacerdotibus, & alijs prudē-
tibus viris, peritis diuinae legis, ac in ecclesi-
asticis sanctionibus exercitatis, sibi ascitis, or-
dinandorum genus, personam, aetatem, institu-
tionem, mores, doctrinam, & fidem diligenter
inuestiget, & examinet.

CAPVT VIII.

Ordinationes b sacrorum Ordinum, statu-
tis à iure tēporibus, ac in Cathedrali Ec-
clesia, vocatis, presentibusque ad id Ecclesie
Canonicis, publicè celebrentur. si autem in
alio diœcesis loco, presente Clero loci, dignior,
quantum fieri poterit, ecclesia semper adde-
tur. c Vnusquisq; autem à proprio Episcopo or-
dinetur. Quod si d quis ab alio promoueri pe-
tat, nullatenus id ei, etiam cuiusuis generalis,
aut specialis rescripti, vel priuilegij pretextu,
etiam statutis temporibus e permittatur: ni-
si eius probitas, ac mores Ordinarij sui testi-
monio commendentur. si secus fiat; Ordinans
à collatione Ordinum per annum, & Ordi-
natus à susceptorum Ordinum executione,
quam

Quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, sit suspensus.

CAPVT IX.

Episcopus familiarem suum non subditum ordinare non possit, nisi per triennium secum fuerit commoratus: & beneficium, quacunque fraude cessante, statim re ipsa illi conferat: consuetudine quacunque, etiam immemorabili, in contrarium non obstante.

CAPVT X.

Abbatibus, ac alijs quibuscunque quantūvis exemptis, nō liceat impost erum, intra fines alicuius diœcesis consistentibus, etiam si nullius diœcesis, vel exempti esse dicatur, cuiquam, qui Regularis subditus sibi non sit, Tonsuram, vel minores Ordines conferre: nec ipsi Abbates, & alij exempti, aut Collegia, vel Capitula quæcumq; etiam ecclesiarum Cathedralium, litteras dimissorias aliquibus Clericis secularibus, vt ab alijs ordinentur, concedant, a sed horum omnium ordinatio, seruatis omnibus, que in huius sancte Synodi decretis continentur, ad Episcopos, intra quorum diœcesis fines existant, pertineat: non obstantibus quibusuis priuilegijs, prescriptionibus, aut consuetudinibus, etiam immemorabilibus. Penam quoq; impostam ijs, qui contra huius Sancte Synodi sub Paulo b. decretum à Capitulo Episcopali, Sede vacante, litteras dimissorias impetrāt:

a sup. c. 1.
cum seq.
& inf. c. 11.
cum seq.

b sup. Sef.
7. de ref.
c. 10.

ad

ad illos, qui easdem litteras nō à Capitulo, sed ab alijs quibusuis, in iurisdictione Episcopi loco Capituli, Sede vacante, succedentibus, obtinerent, mādāt extendi. Concedentes autem diuissorias cōtra formam decreti, ab officio, & beneficio per annum sint ipso iure suspensi.

CAPVT XI.

MInores Ordines ijs, qui saltem a Latinā linguam intelligant, per tēporum interstitia, nisi aliud Episcopo expedire magis videretur, conferantur: vt eō accuratius, quantum sit huius discipline pondus, possint edoceri, & ac in vnoquoque tempore, iuxta prescriptum Episcopi, se exerceant; idque in ea, cui ascripti erūt, Ecclesia, nisi fortē ex causa studiorū ab sint: atq; ita de gradu in gradum ascendant, vt in eis cum etate vite meritū, & doctrina maior accrescat, quod & bonorum morum exemplum, & assiduum in Ecclesia ministeriū, atq; maior erga Presbyteros, & superiores Ordines reuerentia, & crebrior, quā antea, corporis Christi cōmunio maximē comprobabūt. Cumque hinc ad altiores gradus, & sacratissima mysteria sit ingressus: nemo ijs initietur, quē nō scientie spes maioribus Ordinibus dignum ostendat. Hi verō nō nisi post annum à susceptione postremi gradus minorū Ordinum ad sacros Ordines promoueantur: nisi necessitas aut Ecclesie vtilitas, iudicio Episcopi, aliud exposcat.

a c. in fin
gulis 77.
dist. & in
fra c. 13.
b inf. c. 17
& c. 1. 25.
dist.
c 1. Brac-
car. c. 38.
vide 1. Ni
can. c. 2.
Sardic. c.
13. & Caiū
Papam.

CAPVT XII.

Nullus in posterum ad Subdiaconatus Ordinem ante vigesimum secundum, ad Diaconatus ante a vigesimum tertium, ad Presbyteratus b ante vigesimum quintum etatis sue annum promoueat. Sciāt tamen Episcopi, nō singulos, in ea etate constitutos, debere ad hos Ordines assumi: sed dignos dumtaxat, & quorum probata vita senectus sit. Regulares quoque nec in minori etate, nec sine diligenti Episcopi examine ordinentur: priuilegijs quibuscumque, quo ad hoc, penitus exclusis.

CAPVT XIII.

Subdiaconi, & Diaconi ordinentur, c vt habētes bonum testimonium, & in minoribus Ordinibus iam probati, ac litteris, & ijs que ad Ordinem exercendum pertinent, instructi. Qui sperent, Deo auctore, se continere posse: ecclesijs, quibus ascribentur, inseruiant: sciāt que maximē decere, si saltem diebus Dominicis, & solemnibus, cū altari ministrauerint, sacram Communionem perceperint. Promoti ad sacrum Subdiaconatus Ordinem, si per annum saltem in eo non sint versati, ad altiore gradum, nisi aliud Episcopo videatur, ascendere non permittantur. Duo e sacri Ordines non eodem die, etiam Regularibus, conferantur: priuilegijs, ac indultis quibusuis concessis, non obstantibus quibuscumque.

a 2. Tol.
c. 1. & 3.
Carthag.
c. 4. & Agathen.
c. 16. annū
25. requir-
rebant.
b Annum
30. requir-
rit Fabianus dist.
78. Si quis
& Bonifacius 1. &
Conc. N.
docere. c.
11. & Cōc.
4. Tolet.
c. 18.
c. genera-
lem, de e-
ta. & qua-
lita. in
Clem.
c. 1. Tim. 3.
d 4. To-
let. 19.
e hic sup.
c. 11.

CAPVT XIV.

Qui pie & fideliter in ministerijs antè a-
ctis se gesserint, & ad Presbyteratus Or-
dinem assumuntur, bonum habeant testimoni-
& hi sint, qui non modo in Diaconatu ad mi-
nus annum integrum, nisi ad Ecclesie utilita-
tem, ac necessitatem aliud Episcopo videretur,
ministraverint, sed etiam ad populum docendū
ea, que scire omnibus necessarium est ad salu-
tem, ac ad ministranda Sacramenta, diligenti
examine precedēte, idonei comprobentur: at-
que ita pietate, ac castis moribus conspicui, ut
præclarum bonorum operum exemplū, & vi-
te monita ab eis possint expectari. Curet Epif-
copus, ut ijs sibi diebus Dominicis, & festis
solemnibus si autem curam habuerint anima-
rum, tum frequēter, ut suo muneri satisfaciant,
Missas celebrent. Cum promotis per saltum, si
non ministraverint, Episcopus ex legitima
causa possit dispensare.

CAPVT XV.

Quamuis Presbyteri in sua Ordinatione à
peccatis absoluendi potestatem accipiant;
a Clem. decernit tamen Sancta Synodus, nullum a etiā
dudum 6. Regularem, posse confessiones secularium, et-
ac deinde iam sacerdotum, audire, nec ad id idoneū re-
de sepult. putari, nisi aut parochiale beneficium, aut ab
Episcopis per examen, si illis videbitur esse ne-
cessariū, aut aliàs idoneus iudicetur, & appro-

batio-

bationem, que gratis detur, obtineat: privile-
gijs & consuetudine quacumque, etiam imme-
morabili, non obstantibus.

CAPVT XVI.

Cum b nullus debeat ordinari, qui iudicio
sui Episcopi non sit utilis, aut necessarius
suis Ecclesijs; sancta Synodus, vestigijs sexti
Canonis c Concilij Chalcedonensis inherendo
statuit, vt nullus in posterum ordinetur, qui illi
ecclesie, aut pio loco, pro cuius necessitate, aut
utilitate assumitur, non ascribatur, vbi suis fun-
gatur muneribus, nec incertis vagetur sedib?
Quod si locum inconsulto Episcopo deseruerit,
ei sacrorum exercitium interdicitur. Nullus
preterea Clericus peregrinus sine comendati-
onibus sui Ordinarij litteris ab vno Episcopo ad
cetera celebranda, & Sacramenta admini-
stranda admittatur.

CAPVT XVII.

Vt sanctorum Ordinum à Diaconatu ad
Officia tam functiones, ab Apostolorum
temporibus in Ecclesia laudabiliter receptas,
& pluribus in locis aliquamdiu intermissas,
in usum iuxta sacros canones reuocentur: nec
ab hereticis, tamquam otiose, traducantur: nec
pristini moris restituendi desiderio flagrans,
sancta Synodus, decernit, vt in posterum huius-
cemodi ministeria non nisi per constitutos in di-
ctis Ordinibus exerceantur: omnesq; & singulos

Præ-

b c. nemi
nē. 70. di.
c. & Cano
nū citato
rum. Sess.
24. c. 17.
d Cō. Ni
c. 15. & 16.
c. sancto-
rū. 70. di.
ca. tue de
cle. pere.
Con. An-
tioch. c. 7.
Cō. Chal-
c. 13. Con
Aquisgr.
c. 59. & 61.
Conc. E-
paun. c. 6.
Con. Au
3. c. 15.
e. Car. c.
5. Laod.
41. 3. Car-
thag. c. 28.
f. c. 1. 25.
dist. c. aco-
lytus. c.
exorcist.
c. lector.
c. ostia. &
c. Psal. 23.
dist. supra
c. 11. 100.
epi 4. c. 5.

Prelatos ecclesiarum in Domino hortatur, & illis præcipit, ut quantum fieri commodè poterit, in ecclesijs Cathedralibus, collegiatis, & parochialibus sue diœcesis, si populus frequens, & ecclesie proventus id ferre queat, huiusmodi functiones curent restituendas, & ex aliqua parte reddituum aliquorum simplicium beneficiorum, vel fabricæ ecclesie, si proventus suppeant, aut utrisq; illorum, eas functiones exercentibus stipendia assignent: quibus, si negligentes fuerint, Ordinarij iudicio, aut ex parte multari, aut in totum priuari possint. Quod si ministerijs quattuor minorum Ordinum exercendis Clerici cœlibes præsto non erunt, suffici possint etiam coniugati, vitæ probatæ, dummodo non

a 4. Tole.
c. 23. in eū
dem finē
cōstituit.

bigami, ad ea munia obeunda idonei, & qui
Tonsuram, & habitum Clericalem in Ecclesia
gestent.

Gen. 8.

Conc. A-
quilgr. c.

135. Conc.

Later. sub

Leone X.

Sess. 9. de

re. curiæ,

& aliorum

b Consti.

Alexan. 3.

par. 1. c. 18

& in 2.

Lat. ca. 11.

CAPVT XVIII.

Cum adolescentium etas, a nisi rectè instituatur, prona sit ad mundi voluptates sequendas; & nisi à teneris annis ad pietatem & religionem informetur antequam vitiorum habitus totos homines possideat, nunquam perfectè, ac sine maximo, ac singulari propemodum Dei omnipotentis auxilio in disciplina Ecclesiastica perseveret: Sancta Synodus statuit, ut singule Cathedrales, Metropolitanæ, atq; maiores ecclesie, pro modo facultatum & diœcesis

am-

amplitude certum puerorū ipsius ciuitatis, & diœcesis, vel eius prouinciæ, si ibi non reperiatur, numerum in collegio ad hoc propè ipsas ecclesias, vel alio in loco conuenienti, ab Episcopo eligendo, alere, ac religiosè educare, & ecclesiasticis disciplinis instituere teneatur. In hoc vero collegio recipiantur, qui ad minimū duodecim annos, & ex legitimo matrimonio nati sint: ac legere, & scribere competenter noverint, & quorum indoles, & voluntas sp̄e asserat, eos ecclesiasticis ministerijs perpetuo inseruituros. a Pauperum autem filios præcipuè eligi uult: nec tamen ditiorum excludit: modo suo sumptu alantur, & studium præ se ferant Deo & ecclesiæ inseruiendū. Hos pueros Episcopus in tot classes, quot ei uidebitur, diuisos, iuxta eorum numerum, etatem, ac disciplinæ ecclesiasticæ progressum, partim cū ei opportunum uidebitur, ecclesiarum ministerio addicet: partim in collegio erudiendos retinebit: aliosq; in locum e ductorum sufficiet: ita ut hoc collegium Dei ministrorum perpetuū seminarium sit. Vt uero in eadem disciplina Ecclesiastica cōmodius instituantur, Tonsura statim, atque habitu clericali semper uentur: grammatices, cantus, computi ecclesiastici, aliarūque bonarum artium disciplinam discant: sacram Scripturam, libros Ecclesiasticos, homilias Sanctorum, atque Sacramentorum tradendorū, maximè quæ ad confessiones audiendas

a c. quia de mag. cū alleg. in meo tract. de priu. sch. pri. 88.

vide-

videbuntur opportuna, & rituum, ac ceremoniarum formas ediscent. Curet Episcopus, ut singulis diebus Missæ sacrificio intersint, ac saltem singulis mensibus confiteantur peccata: & iuxta confessoris iudicium sumant corpus Domini nostri Iesu Christi Cathedrali, & alijs loci ecclesijs diebus festis inseruiant. Quæ omnia, atque alia, ad hanc rem opportuna, & necessaria Episcopi singuli cum consilio duorum Canonicorum seniorum, & grauiorum, quos ipsi elegerint, prout Spiritus sanctus suggererit, constituunt: eaque ut semper obseruentur. Sæpius visitando operabuntur. Discolos, & incorrigibiles, ac malorum seminatores acriter punient, eos etiam, si opus fuerit, expellendo: omniaque impedimenta auferentes, quæcumque ad conseruandum, & augendum tam piuum, & sanctum institutum pertinere videbuntur, diligenter curabunt. Et quia ad collegij fabricam instituendam, & ad mercedem præceptoribus & ministris soluendam, & ad alendam inuentutem, & ad alios sumptus certi redditus erunt necessarii: ultra ea, quæ ad instituendos vel alēdos pueros sunt in aliquibus ecclesijs, & locis destinata, quæ eo ipso huic Seminario sub eadē Episcopi cura applicata censeantur: ijdem Episcopi cum consilio duorum de Capitulo, quorum alter ab Episcopo, alter ab ipso Capitulo eligatur: itemque duorum de Clero ciuitatis, quorum quidem alterius electio similiter ad Episcopum, alterius verò ad

Cle-

Clerum pertineat: ex fructibus integris mensæ
 Episcopalis, & Capituli, & quarumcumq; di-
 gnitatum, personarum, officiorum, prebenda-
 rum, portionum, Abbatiarum, & Prioratuum,
 cuiuscumq; Ordinis, etiam Regularis, aut qua-
 litatis, vel conditionis fuerint, & hospitalium,
 que datur in titulum, vel administrationem,
 iuxta constitutionem Concilij Viennensis, que
 incipit, a Quia contigit, & beneficiorum quo-
 rumcumque, etiam Regularium, etiam si iuris
 patronatus cuiuscumque fuerint, etiam si ex-
 emptæ, etiam si nullius diocesis, vel alijs Ec-
 clesijs, monasterijs, & hospitalibus, & alijs
 quibusvis locis pijs, etiam exemptis, annexa,
 & ex fabricis ecclesiarum, & aliorum loco-
 rum, etiam ex quibuscumque alijs ecclesiasti-
 cis redditibus, seu proventibus, etiam aliorum
 collegiorum: in quibus tamen Seminaria di-
 scientium, vel docentium ad commune Ec-
 clesie bonum promovendum actu non habentur:
 hæc enim exempta esse voluit: præterquam ra-
 tione reddituum, qui superflui essent ultra cõ-
 venientem ipsorum Seminariorum sustentatio-
 nem, seu corporum, vel cõfraternitatum, que
 in nonnullis locis scholæ appellantur, & om-
 nium monasteriorum, non tamen mendican-
 tium etiam ex decimis quacumq; ratione ad
 laicos, ex quibus subsidia ecclesiastica solvi so-
 lent, & milites cuiuscumque militiæ, aut or-
 dinis, pertinentibus, fratribus sancti Ioannis

a c. quia
 contingit
 de relig.
 domi. in
 Clem. li.
 3. tit. 11. c.
 2. supra
 Sess. 7. c.
 15 refor.

b c. fin de
 mag. & c
 cū ex eo.
 de elec. in
 6.

Hierosolymitani dūt axat exceptis, partē ali-
 quam, vel portionem detrahent: & eā portio-
 nē siq̄ detractam, necnon beneficia aliquot sim-
 plicia, cuiuscumque qualitatis, & dignitatis
 fuerint, & et præstimonialia, vel præstimonialia
 les portiones, nuncupatas etiam ante vacatio-
 nem, sine cultus diuini, & illa obtinētū præ-
 iudicio huic collegio applicabūt, & incorpora-
 bunt. quod locum habeat, etiam si beneficia sint
 reseruata, vel affecta, nec per resignationem i-
 psorum beneficiorum, vniones & applicatiōes
 suspendi, vel nullo modo impediri possint, sed
 omninō quacumq; vacatione, etiam si in Curia
 effectum suum sortiantur, & quacumque con-
 stituitiōe non obst ante. Ad hanc autē portione
 soluendā, beneficiorum, dignitatū, personatū,
 & omniū, et singulorum supra cōmemoratorū
 possessores, nō modō pro se, sed pro pensionibus,
 quas alijs forsan ex dictis fructibus soluerent,
 retinendo tamen pro rata, quidquid pro dictis
 pensionibus, illis erit soluendū, ab Episcopo loci
 per censuras ecclesiasticas, ac alia iuris reme-
 dia compellātur: etiam vocato ad hoc, si vide-
 bitur, auxilio brachij secularis: quibus suis, quo
 ad omnia & singula supra dicta, priuilegijs, ex-
 emptionibus, etiam si specialem derogationem
 requirerēt, consuetudine, etiam immemorabi-
 li, quauis appellatiōe & allegatiōe, quæ ex-
 ecutionem impediāt, nō obstantibus. Succede-
 re verò casu, quo per vniones effectū suū sor-
 tien-

tiētes, vel aliter Seminarium ipsum in totum
 vel in partem dotatū reperiatur; tunc portio
 ex singulis beneficijs, vt supra, detracta, & in
 corporata ab Episcopo, prout res ipsa exegerit, in
 totum vel pro parte remittatur. Quod si Cathe-
 dralium, & aliarum maiorum Ecclesiarum
 Prælati in hac Seminarij erectione, eiusq; cō-
 servatione negligentes fuerint, ac suam portio-
 ne soluere detrectauerint: Episcopum Archie-
 piscopus, Archiepiscopū, & Superiores Syno-
 dus provincialis acriter corripere, eosq; ad om-
 nia supradicta cogere debeat; & vt quampri-
 mū hoc sanctum, & pium opus, vbi cumque
 fieri poterit, promoueatur, studiosè curabit.
 Rationes autem reddituū eius Seminarij, Epi-
 scopus annis singulis accipiat, presentibus duo-
 bus à capitulo, & totidem à Clero ciuitatis
 deputatis.

Deinde vt cū minori impensa huiusmodi
 scholis instituendis provideatur: Statuit sancta
 Synodus, vt Episcopi, Archiepiscopi, Primate,
 & alij locorum Ordinarij, scholasterias obti-
 nētes, & alios, quibus est lectiois, vel doctri-
 ne munus annexum, ad docēdum in ipsis scho-
 lis instituendos, per seipsos si idonei fuerint, a-
 lioquin per idoneos substitutos, ab eisdem scho-
 lasticis eligendos, & ab Ordinarijs approban-
 dos, etiam per subtractionem fructuum, cogāt,
 & compellant. Quod si iudicio Episcopi digni
 non fuerint, alium, qui dignus sit, nominent,

omni appellatione remota, quod si neglexerint, Episcopus ipse deputet. Docebunt autem predicti, quæ videbuntur Episcopo expedire. De cætero verò officia, vel dignitates illæ, quæ scholasticæ dicuntur, non nisi Doctoribus, vel Magistris, aut Licentiatis in sacra pagina, aut in iure Canonico, & alijs personis idoneis, & qui per se ipsos id munus explere possint, conferantur: & aliter facta prouisio nulla sit, & inualida: non obstantibus quibusuis privilegijs & consuetudinibus, etiam immemorabilibus.

Si verò in aliqua prouincia ecclesiæ tanta paupertate laborent, vt collegium in aliquibus erigi non possit; Synodus prouincialis, seu Metropolitana cū duobus antiquioribus Suffraganeis in ecclesiâ Metropolitana, vel alia prouincie ecclesiæ commodiori vnum, aut plura collegia, prout opportunum iudicabit, ex fructibus duarum, aut plurium Ecclesiarum, in quibus singulis collegium commodè institui non potest, erigenda curabit, vbi pueri illarum ecclesiarum educantur.

In ecclesijs autem, amplas diœceses habentibus, possit Episcopus vnam, vel plura in diœcesi, prout sibi oportunitate videbitur, habere Seminaria: quæ tamen ab illo vno, quod in ciuitate erectum & constitutum fuerit, in omnibus dependant.

Postremò, si vel pro vnionibus, seu prouisi-

tionū taxatione, vel assignatione, vel incorporatione, aut qualibet alia ratione difficultatē aliquam oriri cōtigerit, ob quam huius Seminarij institutio, vel conseruatio impediretur; aut perturbaretur: Episcopus cum supra deputatis, vel Synodus prouincialis pro regionis more, pro ecclesiarum, & beneficiorum qualitate, etiam superscripta, si opus fuerit, moderando, aut agendo, omnia & singula, quæ ad felicem huius Seminarij profectum necessaria, & opportuna videbuntur, decernere ac prouidere valeat.

Indictio futuræ Sessionis.

Insuper eadem Sacrosancta Tridentina Synodus proximam futuram Sessionem in diem decimam sextam mēsis Septembris indicit: in qua agetur de Sacramento Matrimonij, & de alijs, si qua erunt ad doctrinam fidei pertinentia, quæ expedire possint: item de prouisionib. Episcopatum, dignitatum, aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum, ac diuersis reformationis articulis.

Prorogata fuit Sessio ad diem 11. Nou.
M. D. LXIII.